XVII. *Obſervationes de* Aſcaridibus & Cucurbitinis, & *potiſſimum de* Taenia, *tam humana quam leporina.*

Read May 15, 1766. SI omnes pervolvantur auctores, qui de vermibus corporis humani tractaverunt; vix de pleriſque, ſcilicet de taenia, aſcaridibus & cucurbitinis, aliquid certe inde intelligitur. Non enim concipitur an taenia ex aſcaridibus, juxta Couletum, vel ex cucurbitinis, juxta pleroſque, agglutinatis & concatenatis conſtet; num potius ſit vermis ſuae & ſingularis ſpeciei, iſque vel ſolitarius, vel multiplex; tuncque an cucurbitini non ſint totidem taeniae annuli ſingulares, ab ea ſeparati, vel alia vermiculorum ſpecies; praeter quas, aliae reſtant difficultates non leviores, unde, exempli gratia, originem ducant, imo quinam ſit ſingulorum character naturalis, aut figura externa, quod poſtremum dubium vel a deſcriptionibus, figuriſve erroneis, vel a varietate naturali ipſorum vermium pendet.

Quae, ut dilucidentur, miſſis fabulis, & opinionum commentis, neceſſe eſt horum animalculorum deſcriptionem unice a natura depromere, & ſuper iis obſervata multiplicare; unde tandem eorum doctrina nitebit.

Cüm mihi, quod non multis contigit, omnes vermium corporis humani ſpecies, vel ſaltem taeniarum fruſtula videre licuerit, & praeſertim cum e leporis inteſtinis taeniarum binarum extremitates obtinuerim, inde occaſione fruor ſingulari nonnulla de hiſce vermium ſpeciebus exhibendi, quæ ad taeniae hiſtoriam naturalem









J. Mynde sc.

naturalem maxime facere poſſunt. Haec fruſtula, ut in icone delineata ſunt, in ſpiritu vini conſervo, curioſiſque oſtendere poſſum.

In iis deſcribendis, figurarum ordinem ſequar. Hae figurae continent eorum fruſtulorum delineationes accuratiſſimas, partium magnitudine, aliquantum tamen a ſpiritu vini contracta, figura & proportione obſervatis, ita ut in deſcriptionibus brevior eſſe poſſim.

TAB. VI. Fig. 1. exhibet quatuor extremitates *(aaaa)* taeniarum in leporis inteſtinis, 23 Novembris, 1757, repertarum; fruſtulum intermedium *b*, cujusſim ilia alia etiam habeo; ſegmenta duo *cc*, a corpore intermedio ſeparata.

Quaelibet harum extremitatum acuta nullum capitis veſtigium praebet.

Earum ſegmenta, quo extremitati proximiora ſunt, eo minus lata & longa ſunt, ita ut non videantur niſi ut lineae circulares, & ultimum ſegmentum quaſi punctum appareat.

Singulis extremitatum ſegmentis diaphanis, duo puncta opaca, ab unoquoque latere unum, ibidem ſpeciem lineae, duplicis, vix niſi ad claram lucem perceptibilis, formantia, hoc que ad longitudinem aliquot pollicum uſque.

In fruſtulis intermediis *b*, talia non ſunt puncta.

Fruſtulorum intermediorum ſegmenta, utroque extremo obtuſa, albida, diaphana, nihil aliud regulare exhibent, ſed aliis una, aliis duae lineae obſcuriores, aliaeque ſubtiliores, aliis aliquot puncta opaca inſunt.

Segmentorum ſpatia intermedia, magis diaphana ſunt quam ſegmenta ipſa, quae, non niſi cujuſdam ſpecie glutinis adunata, facillime ſeparantur.

Fig. 2. exhibet fruſtula taeniae, quae, aſſumpto, veſperi, mercurii dulcis cum ſaccharo triti ſcrupulo uno, expulit poſtridie pulvis purgans, mulieri noſtrati exhibitus. Superior portio *a*, extremum lineare exhibet. Mediae portionis *b* ſegmenta triplo, alterius *c* circiter quadruplo longiora ſunt quam inferiores *d*, ita ut haec videatur uni extremitatum propinquior.

In annulo, ſeu ſegmento ſeparato *e*, ſpecies ſulci ſeu hiatus longitudinalis ab uno extremo eſt, qua parte alteri jungebatur.

Fig. 3. duo alia repraeſentat, alterius taeniae, a praecedenti non multum diverſae, fruſtula; quorum ſuperioris *a* ſegmenta ſunt tenuiora, laeviora, fere quadruplo longiora quam inferioris *b*, cujus annuli magis longi quam lati, aſperiores, ſpeciem verrucarum, aut mammillarum, alias in lateribus, alias in parte plana, exhibent.

Vaſculum, ſpecie fili caerulei, aut purpurei, quod in medio longitudinis ab uno ad aliud extremum per taeniam decurrere dicitur, non datur in hiſce taeniis; ſed apparentia velut vaſculoſa obſcurior in quolibet annulo conſpicitur.

Fig. 4. exhibet vermes cucurbitinos, ita ab Hippocrate, ob quamdam, ipſi viſam, ſed minime realem, cum ſeminis cucumerini aut cucurbitini ſimilitudinem; horum extremum latus *a*, ſeu baſis, ſpeciem ſulci ſeu hiatus habet.

Haec ſpecies magnam affinitatem habet cum ſegmentis taeniae ſeparatis, ut videre eſt comparando in Fig. 2. litt. *e*.

Tales habeo quamplurimos, ut a juveni jamdudum excernuntur.

Fig.

Fig. 5. aſcarides repraeſentat, quales vidi innumeros. Hic vermis, circiter dimidium pollicem longus, corpore donatus eſt terete & laevi, opaco, candido, in duo extrema deſinente, quorum aliud tenuius quam medium corpus, obtuſum, ſubſtantiae candidae, opacae; aliud ſenſim magis acuminatum & tandem capillare, pellucidum, excolor.

His obſervatis, nonnullae animadverſiones ſequentur.

Primo nil aſcaridibus cum taenia aut cucurbitinis commune videtur; ſed ſingularis vermium ſpecies cenſendi ſunt.

Qui vero aſcarides Couleto audiunt, ii ſunt, aliorum cucurbitini; quorum excretio, ut taeniae ſignum, ab omnibus habetur. Inde vel ex hiſce coalitis formari taeniam, quae communior ſententia eſt, vel eos non niſi taeniae ſegmenta ſeparata eſſe, apparet.

Prior opinio, maxime ſpecioſa, ipſo figurarum intuitu evaneſcit. 1. Enim ipſe ordo & diverſitas annulorum, & praeſertim exilitas annulorum extremitatis, *a* (Fig. 2.) formationem ex cucurbitinis concatenatis renuit; hos itaque potius non veros vermes, ſed taeniae annulos ſeparatos arguit. 2. Comparatio taeniae leporinae hoc valde confirmat. In ea omnes annuli ſunt longitudinales; atque cum ſulcus *a* cucurbitinorum pro eorum ore accipiatur, repugnat ſegmenta Taeniae leporinae fuiſſe vermes, cucurbitinis noſtris affines, quorum os tota longitudine decurreret. 3. Puncta illa, in ſegmentis extremitatum taeniae leporinae, eorum mechaniſmum teſtantur diverſum quam ſegmentorum intermediorum, in quibus talia puncta non cernuntur, ita ut non eadem ſit eorum fabrica originalis, nec per

conſequens communis origo a conſimili verme. 4. Diviſio annularis in aliis vermium ſpeciebus viſa eſt; nec a tali concatenatione hos ortos ſuſpicatum eſt, nec per conſequens taeniam oriri ſuſpiciendum; actuum Edinburg. Vol. II. proſtat exemplum vermis rotundi pariter annularis. Linnaei (in Faunâ Suec.) taenia articulata teres, aliud eſt ſimilis conſtructionis exemplum. Haec, aliaque, non ab inſueta naturae lege, qualis plurium animalium redactio in unum eſſet, ſed naturalem eſſe conſtructionem teſtantur.

De taeniae capite bipartiuntur auctores. Jam celebris Tulpius (1) reprobravit taeniae deſcriptoribus, quod eam ſemper mutilam & tantum capite tenus deſcripſerint. Caput alii etiam agnoverunt, ut Andry (2), Raulin (3), Thomas (4); caput Andryanum, ſpeciem porri aut verrucae; Tulpianum velut caput colubrinum; Raulinum ſpecie roſtri, cum duobus punctis nigris ad duo latera; Thomas, ut punctum nigrum, quale in quorumdam fructuum inſectis apparet.

Quoad Tulpium, notandum quod non propria autopſia, ſed aliorum medicorum teſtimonio, & ſculptoris delineatione id admittat.

Tot diverſitates in capite pingendo & deſcribendo, an non ejus realitatem minus certam faciunt? an non praeoccupatio potuit dilaceratae forſan extremitatis appendices, ſpecie roſtri aut capitis, figurare? maxime quum Raulin & Thomas, nonniſi microſcopio adjuti,

(1) Obſ. Med. lib. ii. cap. 42.
(2) Gen. des vers.
(3) Maladies par les variations de l'air.
(4) Journal de Medecine, Juillet, 1765.

caput

caput depinxerint, quum Tulpii, & Andry, ſumme diverſa capita videantur oculis nudis conſpecta fuiſſe.

Alii obſervatores, inter quos ego, nil capiti ſimile vidimus; truncatum forte potuit eſſe ab extremo, quale in Fig. 2. Fateor tamen leporis taeniarum extremitatibus quatuor deficiens caput mihi perſuadere has taenias dicto organo deſtitutas fuiſſe viſibili, quum videatur iis extremis nihil truncati fuiſſe. Revera hae taeniae dilaceratae erant in partibus intermediis, quod domeſtici incautela & initio corruptionis viſcerum contingere potuit, quum is lepus jam a decem diebus aſſervatus fuerit. Sed extremitates viſae ſunt ſanae & integrae, nec capitis, vel etiam ſeparati, veſtigium reperire potuimus. Accedit quod Linnaeus, de taenia inteſtinorum agens (1), referat ſe taeniam inveniſſe in ochra acidulari Jaernenſi; unde concludit, ex ovis vermium, una cum aqua hauſtis, tales & alios vermes in corpus pervenire; nec de capite mentionem facit hic egregius hiſtoriae naturalis ſcrutator. Haec rem indeciſam faciunt, novaque requirunt exactiora obſervata.

Alia quaeſtio eſt num ſolitaria ſit taenia, vel multiplex? Quatuor extremitates (Fig. 1.) arguunt duas ſaltem fuiſſe in lepore. Duae pariter repertae ſunt in fele, altera in ſtomacho, altera in duodeno (2); Tulpius (l. c.) ter integram a muliere quadam excretam aſſerit.

Alia diſcuſſio eſt num multiplices ſint taeniarum ſpecies? alia annulis longis, ut depinxit Coulet; alia brevioribus, ut Tulpius; alia articulis

(1) Syſt. Nat. Obſ. in R. Anim.

(2) Mem. de l'Acad. R. des Sciences de Paris, Vol. 17. pag. 484. Edit. d'Amſterdam.

verſus extrema exilibus, in medio longioribus, quales taenia Hippocratis & Andry; quales videntur fuiſſe taeniae hic depictae, tam humanae quam leporinae. An forte duae priores ſpecies ſtabilitae ſunt, ſecundum fruſtula, quae prodiderunt, extrema aliis, aliis media? quod probabile videtur. An non etiam aliae aliis latiores, quod a diverſitate pabuli nutritii pendere poſſet? & hoc veriſimile videtur. Interim leporinae & humanae taeniae diverſitas ſpecies diverſas oſtendit.

Unde tandem originem ducunt taeniae? Certe, ut jam ex Linnaeo deduxi, tam taeniae, quam alii vermes inteſtinales, videntur ex ſimilium vermium ovis, cum aqua aut edulibus deglutitis in inteſtina pervenire, ubi proprium alimentum nacti creſcunt & vigent, probabiliterque ſpeciem propagant. Quae ovulorum taeniae deglutitio haud difficilis videtur, conſiderando taeniam ex praedictis auctoribus reperiundam eſſe in ovibus, canibus, tinca piſce, fele, lepore, atque in ipſa ochra; ex quibus facilis communicatio, ſeu per aquam, ſeu per alimenta, quibus depoſita ſint ova, deducitur.

Ut veri limites non excedam, his ſuperſtare congruum duxi, donec plura horum vermium, praeſertim integrorum, obſervata omnibus difficultatibus ſatis faciant.

Haec interim, quantumvis mediocria, ſperans aliquantum lucis huic materiae afferre poſſe, perilluſtri Regiæ Scientiarum Societati offert ſubmittitque,

Joannes Philippus de Limbourg, M. D.
Et Regiae Scientiarum Societatis
Monſpelienſis Correſpondens.

XVIII. *An*